

CONCILIUM BASILEENSE.**SESSIO QUARTA.**

(Hartzheim Concil. German. Tom. V.)

De iudicio Vestfaliæ. Post hoc tempus Albertus Cæsar Patres litteris hortatur, ut causam quandam profanam ad iudicium Vestfaliæ, quod vetitum et secretum appellant, remitterent. Iudicium hoc a Carolo magno institutum aiunt, quod deinde Cæsares tanti fecerunt, ut raro vel numquam ab illo ad se provocantes admitterint. In eo etiam non vocati damnantur. Ponitur in medio chordula, cum de aliquo noxio refertur: si necandus videtur, tangunt omnes qui accusatum suspendio dignum putant, digito funem; et ne damnatus sit omnino inscius, per unum aliquem ex iudicibus, qui incogniti sunt, cum obvius datur virga leniter percutitur, vel ex eo audit huiusmodi verba: Et alibi ita bonus comeditur panis ut hic. Post hoc ubicunque damnatus repertus fuerit, suspenditur. Neque possunt ii Iudices evitari, cum non cognoscantur. Quod genus iudicii a Carolo ideo inventum aiunt, ut Saxonum gentem barbaram tunc ac perferocem cædibus et latrociniis assuetam ac crebro rebellantem in officio contineret. Gens fera et idolis dedita neque fidem neque iusiurandum colebat et ideo graviore fræno coercenda videbatur.
